

De Harrio Pottere

(oratiuncula Latina habita a.d. VIII. Idus Decembres)

“Dominus et Domina Dursley, qui vivebant in aedibus Gestationis Ligustrorum numero quattuor signatis, non sine superbia dicebant se ratione ordinaria vivendi uti neque se paenitere illius rationis. in toto orbe terrarum vix credas quemquam esse minus deditum rebus novis et arcanis, quod ineptias tales omnino spernebant.”

Haec sunt prima verba libri primi seriei Harrii Potteris, qui in linguam Latinam translatus est a Petro Needham. Anglice autem Germaniceque sex libri iam editi sunt et quattuor artificia cinematographica videre potestis, ut quaerere possem: Quis vestrum fabulam seriei Harrii Potteris non novit? Sed vos non novistis personas in lingua Latina et fortasse omnium carminum magicorum non recordamini - itaque de personis primum, deinde de carminibus narrabo; tum tria aenigmata parvula sequentur haec verba.

De Domino et Domina Dursley non multa narranda sunt: Vernon et Petunia avunculus et matertera Harrii sunt, et - ut iam prolectum est - non magi sunt, sed quasi contraria magorum, Muggles, sunt. Filius eorum, Dudley, etiam contrarius ei est, quod mater eius de eo dicere consueta est: “angelicum infantem” eum enim appellat, sed minime verum est.

Harrius Potter studet in [Schola Hogvartensis Artibus Magicarum et Fascinationis](#) (cuius sententia est *Draco dormiens nunquam titillandus*). Adversarius Harrii [Voldemort](#) est, pessimus magus, qui Harrium infantem caesurus parentes eius necavit, sed maleficio quod in Harrium paraverat, in Voldemortem ipsum recidit, ut per decem annos finis terroris esset. Harrius orbus ab [Hagrido](#), custode clavium Hogvartensis, redemptus est e ruinis domus parentum, missusque in materterae domum. Hagridus autem missus erat ab Albo Dumbledore, praesede scholae Hogvartensis, primo classi ordinis Merlini adscripto, principe magorum, qui unus magus fuit, quem Voldemort timebat. In anno undecimo vitae, Harrius ad scholam Hogvartensem citatus est, ubi sui optimi amici [Ronaldus Vislius](#) et Hermina Granger sunt. Ronaldus Vislius sextus e septimis liberis natus comas rubras sicut omnes Vislii habet. Familia magica Vislia non dives est, sed fortis, et item Ronaldus. Parentes autem Herminae Muggles sunt et nesciverunt Herminam magam esse. Tamen - vel ea de causa - Hermina discipula optima classis Harrii est, ut paene magis sciat quam magistri. Id utilissimum est, imprimis apud Snapem, magistrum potionum, cui Harrius odio est. Sed non omnes admiratores Harrii Potteris putant Snapem malum esse - admiratores strenui disputant acerrime de eo.

Multa de ceteris dramatis personae, qui non magni momenti sunt, narrare possum, exempli gratia de fratribus maioribus Ronaldi, Billo, Carlo, Persio, Frederico et George, de ministro magico,

Cornelio Fudge, de venditore baculorum magicorum, Domino Ollivander, et de multis aliis discipulis magistris magisque. Sed longum est.

Nunc autem ad carmina magica veniamus! Pleraque carmina originem Latinam habent. Itaque mihi videtur lingua Latina lingua magorum fuisse, qui temporibus antiquis carmina invenerunt. Nam multa carmina Latina pura vel paene Latina pura sunt: **Avis** facit, ut **aves** appareant; si carmine **accio** usus sum, advoco res, quas **acciere** volo; et cum carmine **Impedimenta** offensor meus arcetur **impedimentis** a me. Nonnulla carmina autem originem Graecam habent: **Orchideus** facit, ut flores e baculo magico floreant; [*orco*~ enim hortum vel sata significat. **Engorgio** res maiores facit, ei enim *gorgoi*V(terribiles, feroces) fiunt.

Vobis denique non tacenda sunt tria maleficia inexcusanda: **Imperio** facit, ut maledictus voluntatem dicentis facere debeat; **Crucio** maledictum torquet, ut pessimis doloribus laboret. **Avada Kedavra** autem necat personam, quae maledicta est. Sed num Harrius Potter in libro septimo postremoque necatus erit hoc maleficio, una tantum novit - scriptrix Ioanna Rowling, quae dixit se caput postremum iamdudum scripsisse. Nos autem hunc librum exspectare debemus cum animorum contentione.

Postremo tria aenigmata a vobis quaerere volo; praemia sunt hae socolatae, quibus magi medicamentis usi sunt.

1. Primum aenigma est hoc: Nomen verum magi quaero, qui in libris Harrii Potteris nemo numquam nomine proprio appellat. Si de eo dicunt, eum "Quendam" appellant. Ei autem, qui eum sequuntur, eum "Voldemortem" nominant. Sed quod nomen discipulo Hogwartensi erat, priusquam magus pessimus omnium temporum nominatus est?

2. Secundum autem aenigma est hoc: Nomen animalis magici quaero, quod avis est. Summis in montibus Aegyptiis vel Indicis vel Sinensibus nidificat. Vetustas eius est immensa, quia iterum atque iterum se ipsum recreare potest. Cum corpus suum mori debet, avis flammis necatur, ut paulo post ex favilla renascatur. Sed non solum speciem animalis scire volo, sed etiam nomen huius avis, quae Albi Dumbledoris est. Quis nomen et speciem huius avis novit?

3. Tertium aenigma difficillimum et postremum est: Carmen magicum difficillimum quaero, quod mago auxilio est, qui a creaturis pessimis oppugnatur; hae creaturae quemvis tristem faciunt, ut non iam vivere velit. Quis novit carmen magicum, quo usu magus peritissimus Dementores depellere potest?

Verba sequuntur: Ioanna Rowling, Harrius Potter et philosophi lapis, in Latinam translatus a Petro Needham, New York et Londinum 2003.